

Svehrw

Programm

des

Großherzoglichen Realgymnasiums

zu

Eisenach.

O s t e r n 1 8 8 5 .

Inhalt:

Prof. Dr. Schmidt: Unterrichtsordnung der lateinischen Schule in Eisenach
vom Jahre 1555.
Schulnachrichten. Vom Direktor.



Eisenach
H o f b u c h d r u c k e r e i
1885.



EIGENTUM
des Stadtarchivs
Eisenach

Zug. Nr. 1065

Unterrichtsordnung der lateinischen Schule in Eisenach vom Jahre 1555.

Eine Bemerkung Funckhænsel's in dem Programm des hiesigen Gymnasiums vom Jahre 1854 (Beiträge zur Geschichte der Schule. III. Teil), daß es für einen Theologen, der patriotisches Interesse habe, gewiß eine Aufgabe von wissenschaftlicher Bedeutung sein würde, zu untersuchen, welche Bedeutung Eisenach eine Zeit lang in den Streitigkeiten des Reformationszeitalters gehabt habe, ist für mich die Veranlassung gewesen, dieser Aufgabe näher zu treten und meine Kräfte, soweit es die von meiner Berufstätigkeit nicht in Anspruch genommene Zeit gestattete, ihrer Lösung zu widmen. Die Resultate meiner Forschungen habe ich in mehreren Abhandlungen (Programm des Großherzoglichen Real-Gymnasiums 1863: Jakob Strauß, der erste evangelische Prediger in Eisenach; 1871: Die Diöces Eisenach in der Reformationszeit; 1878: Eberhard von der Thann) und in den beiden Monographien Justus Menius, der Reformator Thüringens, und Georg Witzel, ein Altkatholik des 16. Jahrhunderts, niedergelegt. Jetzt gedenke ich die Reihe der Mitteilungen aus der Reformationsgeschichte unserer Stadt mit der Veröffentlichung der Unterrichtsordnung der lateinischen Schule in Eisenach vom Jahre 1555 vorläufig abzuschließen.

Damit kehre ich zu dem oben erwähnten Programme Funckhænsel's zurück, in welchem derselbe den zweiten Teil der folgenden Schulordnung hat abdrucken lassen, welcher die Ueberschrift führt de cura gubernandi mores pueriles und die leges disciplinae scholasticae umfaßt. Derselbe ist für die Geschichte der Pädagogik von nicht zu unterschätzendem Werte; aber ihn hier wieder mit abdrucken zu lassen, verbietet der mir vergönnte Raum; ich verweise deshalb diejenigen, welche sich dafür interessieren, auf das mehrfach erwähnte Programm. Aus demselben entnehme ich auch das wenige, was wir über den Verfasser der Schulordnung, Andreas Boëtius, wissen.

Andreas Boëtius wurde am 22. Januar 1525 zu Guben in der Niederlausitz geboren und kam in seinem 13. Jahre auf die lateinische Schule in Eisenach, an welcher sein Bruder Sebastian Rektor war. 1542—46 studierte er in Wittenberg. Auf die Empfehlung des Superintendenten Justus Menius wurde er am 13. März 1546 als dritter Lehrer, 1548 als Conrektor, am 4. September 1551 als Rektor der Schule angestellt. Am 11. September 1559 wurde er zu einem Diaconate der Stadt berufen, starb aber schon am 23. Oktober desselben Jahres.

Die Veranlassung zu der Abfassung der Schulordnung war die für das Jahr 1555 angeordnete Kirchen- und Schulvisitation; sie mußte den Visitatoren vorgelegt werden. Diese erteilten ihre Genehmigung durch ihre Namensunterschrift mit der Bemerkung: D. visitatores probant ordinem et distributionem lectionum ac diligentiam praeeceptorum scholae Isennacensis, Poenas autem, quod coram monuerunt, patrias esse volunt et non crebras aut carnificinas puerorum. 1555. Vinariae. Nicolaus Amsdorfius subscrispsit. Erhartus Schnepff D. Johannes Stolsius subscrispsit. Johannes Lutherus subscrispsit.

Die Stellung und Bedeutung, welche dieser Schulordnung in der Geschichte des Schulwesens anzusehen und zuzuerkennen sind, genauer und ausführlicher zu erörtern, muß ich mir für eine andere Zeit und Gelegenheit vorbehalten.

Die Schulordnung ist in einer Abschrift in dem sogenannten „Rothen Buche“ enthalten, welches die „Privilegien und Innungen der Stadt Eisenach“ enthält und in dem Archiv des hiesigen Rathauses aufbewahrt wird. Dem Herrn Bürgermeister Pfeffer, welcher mir in entgegenkommender, freundlicher Weise gestattete, eine Abschrift davon zu nehmen und dieselbe zu veröffentlichen, spreche ich auch an dieser Stelle meinen Dank aus. Das Ganze hat die Ueberschrift: *Ludus literarius Isennacensis quomodo administretur.* Anno MDLV. XX. Januarii., und die Unterschrift: Andreas Boëtius Ludimoderator.

Ludus literarius Isennacensis quomodo administretur.

Nos, quibus munus informandae pueritiae mandatum est, agnoscimus nos duabus potissimum curis omni studio incumbere debere, alteri ut studia puerorum provehantur, alteri ut mores eorum honeste regantur. Haec igitur ut a nobis fiant felicius, primo totum coetum scholasticum in quatuor classes distribuimus. Deinde unicuique classi privatum praceptorum privatumque lectorium destinavimus.

De cura provehendi studia puerilia.

Tria sunt potissimum, in quibus arbitramur versari debere studium puerile: doctrina pietatis, lingua latina et cum hac, si fieri possit, conjungenda lingua graeca. In his rebus proponendis diligenter rationem habemus ingeniorum et ea studemus proponere singulis, quae aetas singulorum capere complectique possit. Exercentur autem pro suo captu, et provehuntur classes hoc modo.

De quarta seu infima classe.

Quarta classis tyruncolorum est, germanice orare et latine legere et scribere potissimum discentium. Hi cum circa quinta tum*) valde adhuc tenelli nobis tradantur, non nisi paulatim disciplinae scholasticae assuefieri possunt. Ergo cum reliquis pueris non impune liceat in ludum venire tardius, huic pusillo gregi datur venia, si non in ipso puncto primae matutinae adsit. Primam matutinam brevitatis causa mihi liceat hic appellare eam, qua operae scholasticae mane inchoantur, quae est post vernum quidem aequinoctium sexta, post auctumnale vero septima. Hac igitur hora cum plerique parvolorum jam convenerunt, per totam hebdomadem inculcantur universis celebra repetitione capita christiana pietatis. Atque hic tabellam quandam habemus, quae continet inscripta nuda quinque capita catechismi, item precatiunculas usitatas, mane et vesperi, ante et post cibum pueris dicendas. Haec omnia quidam ex primo ordine hujus classis, qui intelligit has sibi partes propter ordinariam in sedendo successionem imponi, clare et distincte recitans, ceteris voce praeit et subinde eadem reiterat, donec secundae matutinae signum detur. Atque harum precularum recitatio diebus Saturni, ut post dicetur, a parvulis reposcitur. Est autem haec classis infima, ut facilius provehantur singuli, rursus distincta in quatuor ordines, ex quibus quartus seu infimus continet eos, qui in primo labore Grammatices, hoc est in cognoscendis literis omnem diligentiam consumunt. Prima autem hora matutina elapsa, postquam Cantor praefectus huic classi ingressus ludum (nam ante secundam matutinam non ingreditur) prius a primo ordine, ut dicemus, formas declinationum recitatas, audivit, exercet deinde hos parvulos in elementali puerili, ut discant nomina, potestatem figurarum probe agnoscere et dignoscere. Idque ut felicius hi tyrunculi assequantur, solet cantor in tabula parieti appensa depictas habere literas, quarum figure respondeant literis alphabeti impressis, atque in hac tabula literarum figuris ac discrimina universis monstrare, ac postea a singulis vel saltem ab aliquibus tardiusculis ingenii quaerere, quomodo monstratas figuris et discri-

*) So deutlich das Ms.; ich vermute circa quintum annum.

mina observaverint. Postquam ita examinati sunt, utuntur et ipsi creta, ac in suis tabellis utcunque literarum formas pingendo imitari discunt. In hoc ordine qui alphabetum exacte jam tenent, transferunt ex infimo in vicinum scamnum, ac^{*} deinde reliquarum pagellarum literas cognoscere ac nominare discunt.

Tertius ordo hujus classis est eorum, qui postquam omnes literas perfecte cognoscere didicerunt, jam consonantes et vocales singularum syllabarum connectere ac singillatim syllabas efferre assuescant. Hi etiam cum singulas syllabas efferre possunt, in proximum scamnum collocantur, ubi formatis syllabis, jam in elementali suo voces integras legendo pronuntiare discunt. Huic etiam ordini in quotidiana exhibitione scriptorum monstratur ratio ducendi literas ac praecipitur imitatio ac diligens exercitatio.

In secundo vero ordine versantur, qui elementale legere in dies expeditius discunt. Atque ubi lectioni usitati sui libelli assuerunt, rursus altius provehuntur, ac relicto elementali ad Donati lectionem assuefiunt. Hic ordo, sicut et primus, rursus in aliquot decurias distinctus ac singulis decuris sui decuriones seu duces attributi sunt, qui cum ceteris legant expeditius et propterea ad hunc honorem evecti sint, et praelegunt suis propositam ac mox recitandam cantori lectionem, et postea eosdem, dum quartus et tertius ordo a cantore audiuntur, auscultant eandem lectionem relegentes. Et si quos ex illis deprehendunt ignaviores, qui propositam lectionem non satis expedite legere potuerunt, hos pro ratione officii sui praeceptoris indicant, ut ab ipso denuo audiantur ac re ipsa convicti castigentur. Haec mutua exercitatio puerorum plurimum molestissimi laboris cantori demit, cum alioqui fieri non posset, ut duarum horarum spacio omnibus suae classis pueris, quos saepe ducentos nunquam pauciores centum quinquaginta habet, inservire posset. Praeterea hi etiam scribendo plenius quam superiores exercentur. Nam sententia aliqua latina cum vernacula interpretatione his creta praescribitur, cuius illi exemplum et summa diligentia conantur effingere et effectum bis quotidie, ut dicetur, exhibent. Atque haec ratio erudiendi inferiores tres ordines uniformiter servatur quotidie quaternis horis, binis scilicet ante et binis post meridiem. Ante egressum vero pomeridianum propoununtur singulis diebus huic quidem secundo ordini privatum sex latina vocabula, quarto vero et tertio tantum duo cum vernacula interpretatione, quae et domum parentibus eo die referant et postea in ludo praeceptoris quidem singulis septimanis statuta hora, inspectori vero scholae singulis mensibus in examine memoriter recitent conjunctim.

Primus seu supremus ordo hujus classis continet eos, qui postquam in hunc locum ascenderunt et Catonem et Grammaticam, Cetechesin (quam excerptam ex Micylli grammatica pueritiae nostrae excudendam primo curavit J. Menius) legere et perfectius elegantiusque scribere, et jam formulas declinandi ediscere et recitare memoriter inceperunt. Hi primum praeceptoris suo secunda matutina ingresso ludum quinque declinationum formas earumque aliquot exempla memoriter reddunt. Postea ad Catonis lectiouem accedunt, quam illis pridie cantor proposuit indicata vera legendi ratione. Haec cum a singulis relecta auscultantibus ducibus fuit, dum infimi duo ordines ab ipso praeceptore audiuntur, tandem si cantor audivit aut habita inquisitione comperit aliquos, quod non attente reliquos auscultaverint, non satis expedite lectionem propositam legere potuisse, hos ut etiam in secundo ordine fieri diximus, castigat.

Postremo omnes omnium ordinum cantori specimen sui autographi ostendunt, superiores quidem duo ordines a se domi atramento latinis et germanicis literis, inferiores vero in ludo creta, latinis literis majusculis et minusculis scriptum. Ubi non tantum ratio eleganter scribendi a cantore summo studio ostenditur, sed etiam si qui majore ceteris usi diligentia aut adjuti naturali inclinatione elegantiores literas pinxerunt, laudantur et blanda cohortatione magis accenduntur, segniores vero objurgati dimittuntur; qui vero manifestam neglegentiam prae se ferunt et lituras potius quam literas

ostendunt, etiam poenis afficiuntur. Hie cum poenarum mentionem fecerimus, illud mihi praetermittendum non puto: cum hi pueri omnium maxime afficiantur laude et objurgatione praeceptoris, esse poenam gravissimam ignominiosam dejectionem de gradu, ad quem quis adhibitis omnibus viribus ascenderit. Quare propter communia quidem peccata, quae digna sint castigatione, virgis caeduntur, sed si quis ex suo in locum inferiorem descendere cogitur, aut quasi notatus ignominia de honore ducatus seu decuriatus dejicitur, hunc vel in discendo ignavissimum factum esse vel insigne aliquid admisisse necesse est.

His omnibus peractis ad prandium omnes dimittuntur, diligenter prius a praeceptore admoniti, ne in publico vociferentur aut cursitent. Jussis etiam custodibus diligenter observare ac deinde indicare praeceptoris lascivientes aut qualitercunque peccantes in via publica.

Duodecima meridiana omnes iterum conveniunt et usque ad primam scribendo se exercent. Sed ne absente cantore, qui in alio interim lectorio musicam superioribus tribus classibus legit, hanc horam garriendo transigant aut aliqui male collocent, adhibetur his quidam ex prima classe inspectorum et studiorum. Huic jussu ludimoderatoris et parent omnes et exhibent literas et sententias, quas exercitii causa scripserunt, inspiciendas et emendas et calamos parandos afferunt et poenas dant, si qui tarde veniant vel aliter delinquent.

Duodecima elapsa cantori jam a lectione musices ad suam classem reverso primi ordinis pueri primo decem, deinde cum semel ita perdidicerunt totum libellum vocabularium, viginti latina vocabula una cum significatione germanica recitant. Quae quidem vocabula primum cantori diebus Jovis mane finitis precibus, quotquot per totam septimam didicerunt, repetere memoriter, deinde etiam inspectori scholae in examine menstruo universa, quae integro mense didicerunt, recitare coguntur.

Secundae vero horae jam signo dato hi grammaticam catechesin, de qua supra dixi, ita ut ante meridiem Catonem, exercitii causa ordine legunt clara voce, ut non solum a dueibus seu decurionibus sibi praepositis sed etiam a cantore interim in examinatione inferiorum ordinum occupato exaudiri aliquo modo queant.

Imminente jam tertia, qua omnes dimitti solent, ut in reliquis ordinibus fieri diximus, ita etiam huic primo ordini rursus proponuntur vocabula decem aut viginti ediscenda ac postridie recitanda memoriter.

Atque haec quidem infimae classis exercitia quotidie redintegrantur eodem ordine, nisi quod antemeridianum tempus diei Saturni totum sacris impenditur. Nam a quarto et tertio ordine reposuntur memoriter quinque nudae partes catechismi et precatiunculae, quas prima matutina singulis diebus inculcari parvulis diximus. A secundo vero præterea exigunt aliqua particula germanici catechismi cum interpretatione, ut ita paulatim totum catechismum una cum expositione ediscant. Deinde etiam ex dominicali evangelio sententiam aliquam tabulae accurate a cantore inscriptam legunt præceptoris, ut hac ratione etiam ad germanicas literas assuescant. A primo vero ordine integra aliqua pars catechismi cum germanica expositione J. Menii exiguntur, ita ut spatio quinque septimanarum integra recitatio catechismi hoc modo finita postea redintegretur. Dominicale etiam evangelium ab his ex libellis germanicis legitur.

Sed præter usitata singulorum dierum exercitia solet sibi cantor ter quaterve in anno aliquot dies sumere, quibus ceteris rebus posthabitis artificium pingendi literas pueris diligentissime monstrat.

Hic omnes ordines ante tabulam sistit, ut ductus linearum clarus ab ipsis conspici possint. Deinde non solum in conspectu omnium characteras pingit, sed etiam, ut est hac in re homo ingeniosissimus, prolixe commemorat, qua longitudine, qua crassitie singulae literae tam germanicae quam latinae majusculae et minusculae formari et quo ordine singulæ partes seu lineolæ literarum duci debeant.

Atque hic vitandi taedii causa jucundam similitudinem ab instructione acierum militarium affert, quam ad literulas eodem modo apte collocandas accomodat. Praeterea his diebus etiam diligentius quam alias inspicit ac corrigit exempla scripturae, quae singuli a se accurata imitatione efficta ipsi exhibent.

Haec sunt exercitia cum doctrinae pietatis, tum latinarum literarum, tolerabilia ingeniolis horum puerorum. Ceterum qui in supremo ordine hujus classis diligent exercitatione eo usque progressi sunt, ut et expedite legant Catonem et catechesin suam et celeriuscule ornateque scribant et formas declinandi et totum catechismum J. Menii*), denique vocabula latina universa, quae habent in libello suo, quae sunt numero mille quingenta, exakte memoriter teneant, digni et idonei judicantur, qui ad altiora provehantur. Itaque hi cantori pro fideli institutione, qua usi in hoc eruditioinis fastigium ascenderint, gratias agunt et praeeceptoris tertiae classis erudiendi traduntur.

De tertia classe.

In tertiam classem traducti non solum exercent, quae jam didicerunt, sed etiam majora addiscunt et plenius cum de doctrina pietatis tum de latinis literis erudiuntur. Nam ad illum catechismum germanicum, quem in infima classe didicerunt, hic latinum Lutheri etiam expositum sibi ediscunt. Praeterea dominicale evangelium latinum his exponitur. Deinde ad assequendam aliquam latinae linguae cognitionem praelegitur et diligenter inculcatur illis catechesis grammatica Justi Menii. Praeleguntur et Catonis disticha et his adjuncti Mimi Publiani praeterea fabellae Aesopiae. Ubi et usus regularum grammaticae diligentissime ostenditur, et verba formulaeque latini sermonis sumuntur. Denique nec exercitium scribendi latine his deest.

Ut vero tam recentiorum quam proiectiorum ratio habeatur, distincta est haec classis, ut et reliquae praeter quartam, in duos ordines. Ex quibus posterior eorum est, qui nuper ex quarta classe hoc transcenderunt. Hi paulatim catechismum latinum et formulas conjugandi communissimasque regulas catecheseos suae et latini sermonis verba et formulas, quae se offerunt in lectionibus, discunt, donec et ipsi in priorem ordinem cooptentur. Ubi postea eandem catechesin auditam perfectius intelligere et regularum cum etymologiae tum syntaxeos usum plenius videre in autoribus et formulas etiam latinas ex ore praeeceptoris exceptas et memoriae mandatas una cum praeeceptiunculis grammaticis auditis ad usum aliquo modo vertendis sententiolis germanicis transferre discunt. Hoc autem ordine haec quae diximus exercitia in hac classe proponuntur.

Mane priusquam accedatur ad ipsas lectiones quotidie cum in hac tum in secunda et prima classe recitatur memoriter a binis pueris unum ex quinque capitibus catechismi una cum interpretatione latine quidem a pueris omnibus primae et a primoribus secundae classis, germanice vero ab omnibus tertiae et a secundanis secundae ita ut alter interroget, alter respondeat. Ac die quidem Lunae, qui inter profestos primus sit, prima pars catechismi, qui est decalogus, recitatur, reliquis vero diebus, ut illi ordine succedunt, sic etiam capita catechismi nostri, ut ordine se subsequuntur, recitantur. In tertia vero classe hoc privatim servatur, ut recitato germanico catechismo, ut diximus, etiam partes latini catechismi prout hae in singulos dies cadunt, nudae a singulis pueris recitentur. In prima vero parti catechismi recitandae etiam praemittitur oratio matutina a Joanne Stigelio carmine elegiaco redditia. Haec cum mihi saepe posthac repetenda fuissent, semel hoc loco dixisse sufficiat. Hac igitur recitatione precationis loco praemissa deinde ad ipsas lectiones in singulis classibus acceditur. In hac vero, de qua jam agimus, classe priores duae horae matutinae dierum Lunae, Martis et Mercurii destinatae sunt lectioni grammaticae catecheseos. Ac enarratur his horis

*) Ueber diesen Kätechismus vgl. meinen Justus Menius I S. 189 ff.

pars grammaticae, quae reliquis maxime syntaxi praelucere debet, etymologia. Primoque ab omnibus pueris proxima lectio exponitur et memoriter citatur. Deinde a praceptorum alia lectio eodem modo reposcenda a pueris in ludo proponitur.

Tertia vero hora antemeridiana, quae est vel octava aestiva vel nona hiberna, conceditur pueris cum hujus tum reliquarum classium praeter quartam exitus ad alvi et vesicae exonerationem. A qua reversi hi, de quibus jam agimus, primo specimen aliquod sui autographi praceptorum exhibere coguntur, ne studium repraesentandi bonas literas cum latinas tum germanicas omittant. Plerumque vero pueris praecipit, ut formulas a praceptorum, ut dicetur, exceptas describant ac descriptas praceptorum offerant, ut et manus pueris exerceatur et formulae memoriae facilius adhaerescant, et si perperam scriptae sint, a praceptorum emendentur. Deinde distichon aliquod Catonis prius a praceptorum expositum rursus exponunt ita, ut sedent ordine. Postea in eodem disticho primum constructiones revocantur ad regulas syntaxeos a praceptorum, deinde in singulis dictionibus praceptiones quoque etymologicae exercentur. Atque ut quae sunt praecipue observanda in singulis partibus orationis, in memoria pueris maneat, dat operam praceptor, ut pariter singulas orationis partes exerceat et jam hanc jam illam diligentius examinet. Atque ita singulis septimanis praecipua capita etymologiae repetuntur. Denique et verba formulasque latini sermonis cum interpretatione vernacula, dictante praceptorum, pueri in libellos suos ad id compositos scribunt, quae postea et ad usum transferunt et in examine monstruo memoriter recitant.

Sic vero ut singula excuti possint, tribuuntur fere uni disticho tres trium dierum horae, quae prandium proxime antecedunt. Atque ita collocantur horae antemeridianae dierum Lunae, Martis et Mercurii. Prima vero pomeridiana dierum Lunae et Martis lectioni syntaxeos tribuitur. Ac recitant prius pueri proximam lectionem. Deinde a praceptorum rursus binae regulae exponuntur, quas expositas rursus alio die recitent.

Hora secunda enarratur versiculus ex Mimis Publianis, unde et exempla regularum grammaticarum et verba latini sermonis petuntur, ut ex Catone.

Die vero Mercurii prima pomeridiana exponitur aliqua brevis periodus fabellae alicuius Aesopicae ac ostenditur in ea usus regularum grammaticarum et excerpuntur inde formulae itidem ut in Catone.

Secunda vero ad concionem catechismi totus coetus scholasticus vadit in templum prius a praceptoribus admonitus de modestia in templo praestanda. Die Jovis hora quam precario primam matutinam appello enarratur latinus catechimus Lutheri. Hunc enarratum a praceptorum paulatim ediscunt pueri. Reliquis duabus horis antemeridianis recitantur a secundo quidem ordine prius quas formulas conjugationum didicerunt, declinationes nominum, a primo vero conjugationes verborum tum regularium quam anomalorum et impersonalium, quae extant in catechesi grammatica. Die Veneris prima matutina praemissa ut diximus recitatione quintae partis catechismi de sacramento eucharistiae postea recitantur memoriter a singulis utriusque ordinis pueris usitatae precatiunculae matutinae et vespertinae. Item ante et post cibum dicendae pueris, sed quae in infima classe germanice, hic latine eadem discuntur.

Reliquae duae horae antemeridianae consumuntur emendandis illis breviuseulis argumentis, quae latine a se qualitercumque versa praceptorum pueri exhibent, ut et formulas auditas et exceptas et regulas grammaticas ad usum transferre hoc modo discant.

A meridie proponitur eis aliud ejus modi germanicum argumentum latine vertendum ac post octiduum exhibendum. Tempus antemeridianum diei Saturni totum tribuitur sacris. Primo enim ab omnibus recitantur verba coenae Domini latine. Deinde ne cuiquam ex animo effluant capita catechismi cum interpretatione, exiguntur recitatio singulorum capitum a singulis. Imprimis autem illi

diligenter audiuntur, qui mandato praceptoris sequenti die Mercurii publice in templo catechismum recitaturi sunt. Tertia hora antemeridiana usque ad egressum exponitur dominicale evangelium.

His exercitiis cum pueri primi ordinis satis eruditи sunt, transferuntur deinde in secundam classem ad uberiorem ingenii cultum capendum. Prius tamen gratias praceptorи agunt, cuius fide et diligentia adjuti tantum in discendo profecerint, ut digni judicentur, qui secundae classis lectiones audiant.

De secunda classe.

Qui in secundam classem cooptantur, necessario illuc afferunt primo initia pietatis comprehensa animis, hoc est, quinque capita catechismi cum expositione saltem germanica, deinde integrum cognitionem catecheseos grammaticae, denique qualemunque usum scribendi acquisitum vertendis sententiolis germanicis in latinas. Postea vero catechismum comprehensum memoria quotidiana recitatione, ut dictum est, exercent ac perfectius intelligere discunt. In latinis etiam literis discendis ut progrediantur, audiunt hic Micylli grammaticam locupletiorem. Praeterea Bucolica Virgilii et Epistolas Ciceronis, quas Sturmius ex omnibus voluminibus epistolarum autoris excerptas in usum tironum latinae linguae edidit, ex quibus autoribus tum exempla regularum tum verba et formulas latinas petunt. Denique et per mediocre exercitium styli omnia audita ad usum transferunt. Distributa est etiam haec classis in duos ordines, quorum posterior paulatim ad ea exercitia, ut mox apparebit, praeparatur, quibus prior ordo eruditur.

Quae autem quibus horis et qua ratione in secunda classe agitantur, sic est accipiendum.

Diebus Lunae et Veneris.

Prima matutina ab utroque ordine recitatur aliquod ex praecipuis capitibus grammaticae, digessimus enim totam Micylli grammaticam in certa capita, ex quibus bina singulis septimanis memoriter recitantur, ac quinque mensibus haec recitatio plerumque finita, redintegratur, ut regulae grammaticae animis puerorum penitus infigantur. Capita autem grammaticae hae sunt;

1. Definitio grammaticae et partium ipsius cum divisione literarum.
2. Comparatione et motione adjectivorum
3. Regulae de Genere { generales a principio usque ad terminationem IS.
4. Genere { speciales praecipuae } Ab IS usque ad finem.
5. Paradigmata primae et secundae declinationum cum paucis regulis maxime de dativo plurali primae et de genitivo et vocativo singulari secundae.
6. Regulae { Genitivi singularis nominum a. e. o.
tertiae declinationis desinentium al. el. an. en. on.
in ar. er. ir. yr. or. ur.
accusativi et ablativi singularis ejusdem declinationis. as. es. is. os. us.
genitivi pluralis ejusdem declinationis. bs. ls. rs. ns. ps.
ax. ex. ix. ox. ux.
7. Regulae de formatione { a. e. o.
al. el. an. en. on.
ar. er. ir. yr. or. ur.
as. es. is. os. us.
bs. ls. rs. ns. ps.
ax. ex. ix. ox. ux.
8. Regulae de formatione { a. e. o.
al. el. an. en. on.
ar. er. ir. yr. or. ur.
as. es. is. os. us.
bs. ls. rs. ns. ps.
ax. ex. ix. ox. ux.
9. Regulae de formatione { a. e. o.
al. el. an. en. on.
ar. er. ir. yr. or. ur.
as. es. is. os. us.
bs. ls. rs. ns. ps.
ax. ex. ix. ox. ux.
10. Regulae de formatione { a. e. o.
al. el. an. en. on.
ar. er. ir. yr. or. ur.
as. es. is. os. us.
bs. ls. rs. ns. ps.
ax. ex. ix. ox. ux.
11. Regulae de formatione { a. e. o.
al. el. an. en. on.
ar. er. ir. yr. or. ur.
as. es. is. os. us.
bs. ls. rs. ns. ps.
ax. ex. ix. ox. ux.
12. Regulae de formatione { a. e. o.
al. el. an. en. on.
ar. er. ir. yr. or. ur.
as. es. is. os. us.
bs. ls. rs. ns. ps.
ax. ex. ix. ox. ux.
13. Regulae de formatione { a. e. o.
al. el. an. en. on.
ar. er. ir. yr. or. ur.
as. es. is. os. us.
bs. ls. rs. ns. ps.
ax. ex. ix. ox. ux.
14. Regulae de formatione { a. e. o.
al. el. an. en. on.
ar. er. ir. yr. or. ur.
as. es. is. os. us.
bs. ls. rs. ns. ps.
ax. ex. ix. ox. ux.
15. Paradigmata quartae et quintae declinationum cum regulis praecipuis.
16. Quaestiones praecipuae { pronominis.
17. Quaestiones praecipuae { verbi.

18.		primae et secundae.
19.	Regulae de formandis	{ a terminatione bo usque ad mo .
20.	praeteritis et supinis	tertiae { a mo usque ad scio .
21.	conjugationis	{ a scio usque ad finem.
22.		quartae cum exceptionibus.
23.	Quaestiones praecipuae de	{ participio.
24.		{ adverbio, praepositione et interjectione.
25.	Formulae	regularium, quae tamen semper ab aliquibus jussu praeceptoris
26.	conjugationum	recitantur, quoties recitatio certi capit is ante horae sonitum finit ar.
27.		irregularium.
28.		Adjectivum et substantivum.
29.		Interrogativum et redditivum.
30.		Dativer adsciscunt.
31.	Regulae syntaxeos	Nominativus praecedit.
32.	divisae in capita, quae	Verba substantiva praecedunt.
33.	singula agnosc i	Activa verba omnia.
34.	possunt his suis initii s	Nominibus regionum.
35.		Supina priora.
36.		Adverbia subjiciuntur.
37.		Acto casui serviunt praepositi.
38.		usque ad finem syntaxeos.

Horum 36 capitum recitationi perpetuo impenduntur duae primae matutinae dierum Lunaë et Veneris. Reliquis antemeridianis duabus horis corriguntur argumenta ita, ut barbarismi et solecismi inde expurgentur ac pro obscure exiliter aut enormiter improprie dictis substituantur aptiora vel magis propria. Nam multa vitia tolerabiliora dissimulanda, multa etiam mediocriter dicta laudanda esse censemus, ne pueri, si omnia in argumentis improbari videant, desperato fructu molestissimi laboris prorsus ab exercitio styli refugiant. Cumque praeceptor semper indicet causam, cur quid tolerari nequeat, coguntur pueri et considerare et postea annotare ad finem emendati argumenti causas, cur quid deletum sit a praeceptore, ne facile postea in iisdem peccent. Saepe etiam ea, in quibus ab aliquibus erratum est, in aliis argumentis postea studiose solent repeti, ut hoc modo diligentia puerorum in vitandis lapsibus acuatur. Nam sive caveant sibi ab ejusmodi locis, ostendunt suam diligentiam; sive rursus offendant in eosdem scopolos, merito eorum incuria castigatur, ut sint in posterum cautores.

Prima pomeridiana diei Lunaë aliud argumentum, ut plurimum epistolare vernacula lingua pueris proponitur, quod latine versum sequenti die vel Lunaë vel Veneris exhibeant. Nam bina argumenta in hac classe proponuntur septimanis singulis. Cum vero duo sint hujus classis ordines, nec uno modo omnes commode erudiri possint, dictantur priori quidem ordini quatuor aut quinque breviusculae periodi, posteriori vero duae aut summum tres pro captu singulorum, donec hi etiam robur aliquod in exercitio styli faciant. Materia argumenti sumitur potissimum talis, ubi formulae notae pueris ex quotidianis lectionibus ad usum transferuntur. Cumque in omni scriptione rem provisam verba recte sequantur, hic contrario ordine formulae seu verba prius praeceptori in conspectu sunt quam materiam deinde proponendi argumenti suppeditant. Nec ullus unquam germanicus a phasi latina abhorrens adhibetur, nisi pueris aut notum sit, aut antequam aggrediantur latinam versionem, indicetur, quae formula latina cui germanico idiomati proprie respondeat. Exceptum ar-

gumentum relegunt aliqui, ut et ipsi legentes et reliqui auscultantes emendent vitiouse scripta aut male distincta, et ut exploret praceptor, an formulae ursurpandae adhuc in memoria pueris maneant, denique ut, quoties aliquid a latinis auribus alienum adhibetur, quod saepe fieri necesse est, ordo grammaticus singularum dictionum monstretur ac indicentur aptae latinae formulae, quibus phrases patrii sermonis sint interpretandae, ne pueri verba ac formulas necessarias cogantur sumere ex dictionariis sine ullo judicio, quod ad rectitudinem judicii assequendam minime conducere arbitramur.

Hora secunda diei Lunae emendatis jam omnium argumentis et dictato novo, prosodia praelegitur hoc modo: Primum proxima lectio recitatur memoriter et deinde exponitur ab iis potissimum, de quorum diligentia praceptor dubitat. Deinde pergit praceptor in paelegendo. Exercentur autem postea regulae paelectae primo in Bucolicis Virgilii, ubi sumtis in manus aliquot versibus quantitas singularum syllabarum examinatur, deinde in componendis versibus, quos resolutos praceptor pueris proponens paecepit, ut dilocatas dictiones rursus in pedes cogant ac hoc modo a se denuo compositos versus una cum argumento offerant. Hac veluti umbra versificationis fit, ut non solum quantitas syllabarum discatur, sed etiam, ut postea cum ad ipsam versificationem acceditur, labor faciendorum versus primo admodum difficilis nonnihil levetur.

Hora secunda diei Veneris dictatur argumentum germanicum, ut hora prima diei Lunae. Prima vero diei Veneris quomodo collocetur, dicetur infra.

Diebus Martis et Mercurii prima matutina destinata est Grammaticae Micylli, in qua non omnia, sed ut totus liber celerius absolvatur et rursus inchoetur, priori quidem ordini regulae cum una atque altera exceptione, posteriori vero nudae proponuntur. Elabitur autem prior horae medietas, dum pueri recitant memoriter proximae lectionis paecipua, sed quia tempus fere non sufficit omnibus audiendis, ideo qui praceptor de negligentia suspecti sunt, illi imprimis audiuntur. Deinde pergit praceptor in exponendo, ut habeant pueri, quod ediscant ac recitent sequenti die. Lectionem bis expositam rursus exponunt pueri usque ad horae hujus exitum. Altera hora matutina et ea, quae prandium proxime antecedit, Bucolica Virgilii enarrantur hoc ordine: Reposcit primo praceptor a pueris aliquibus paecipias regulas syntaxeos, et si quid in etymologia memorabilius fuit in proxima lectione, idque breviter, tantum ne pueri securi de his, quae audiverunt, domesticas repetitiones omittant. Deinde exponit ulterius, sed nunquam ultra quatuor aut quinque versus prout sententia patitur multos divelli, quos pueri deinde rursus exponunt usque dum reliqua sit hujus horae vix quarta pars, quae denique in examine syntaxeos consumuntur. Solet autem praceptor inter exponendum studiose facere, ut legitime singulas dictiones ordinet et conjungat conjungendas, ut postea prioris ordinis pueri, si diligenter auscultaverint, non difficulter per sese ordinent ac construant singulas voces. Hi ergo post expositam ab omnibus vel saltem a plerisque lectionem, per sese et construant singulas voces et singularum constructionum regulas ex Micyllo suo recitant, praceptore interim auscultante errantesque aut omittentes quippam admonente. Sed deinde repetuntur singulae constructionum regulae, ut et posterior ordo easdem assequi possit. Interim hujus etiam horae elapsae signo dato exeunt, si qui volunt.

Tertia hora antemeridiana praceptor etymologiam ex iisdem versibus exercet, ita ut paecipua in singulis orationis partibus examinentur, quod idem etiam in tertia classe fieri diximus. Solet etiam si non eadem hac hora, at alias priusquam aliam inchoet lectionem, ex autore verba et formulas aliquot latini sermonis excerpere et dictare cum vernacula interpretatione simplici, ac propria quantum fieri possit, ac mandatas libellis perspicere, ac errata orthographica si quae sunt emendanda ostendere. Ut autem haec omnia fieri possint eo quo diximus spatio temporis, in manus sumendi sunt praceptoris terni vel quaterni summum quini versus, ut non multa negligenter, sed pauca diligenter executiantur.

Hora prima pomeridiana syntaxis Micylli exponitur. Recitatur autem primo a pueris proxima regula nuda sine exemplis. Deinde aliqui jubentur eandem proximam lectionem exponere. Tertio exempla eis proponuntur vernacula lingua, quae illi ex tempore latine juxta illam regulam reddant et in libellos suos ad hoc compositos describant. Quodsi quae exempla ejus regulae in lectione autorum occurrerunt, ea jussu praceptoris conquisita exhibent. Interim altera horae medietate elapsa, exponit praceptor sequentem regulam. Quantum deinde restat ad secundam, pueri quoque auditam pralectionem exponunt.

Hora secunda diei Martis tribuitur epistolis Ciceronis seorsim, ut dictum est, a Sturmio editis.

Die Jovis hora prima matutina collocatur ut eadem pridie; octava et nona in epistolis Ciceronis pergitur prorsus eodem modo ut in Bucolicis.

Die Saturni prioribus duabus horis matutinis recitationem catechismi latini et germanici alteris septimanis audit praceptor. Sed quoniam qui recens in hanc classem ex tertia collocati sunt, latinum catechismum nondum tenent memoriter, ideo singulis hebdomadis aliquid ediscendum his in latino, quem in tertia classe jam exponere didicerunt, proponitur. Quodsi peregre advenerunt, hi ante omnia germanicum Justi Menii ediscere coguntur. Catechismus cum interpretatione ne ex animis pueris exidat, non solum diebus Saturni, sed etiam reliquis diebus, ut alibi dictum est, recitatur latine et germanice pro ut singuli recitantes progressi sunt. Hora antemeridiana tertia evangelium dominicale a praceptore prius explicatum pueri ordine exponunt.

In his igitur exercitiis cum biennio aut paulo diutius cum aliquo fructu versati sunt, ut locus aliis detur, transferuntur in primam classem, ut rursus ad altiora provehantur. Agunt et hi praceptoris suo pro fideli institutione gratias, priusquam ex hac classe excedant.

De prima seu suprema classe.

Huc qui ascendunt, et catechismum latinum et germanicum longa exercitatione probe animis infixum habent et in Micylli grammatica robur sufficiens fecerunt, et longiusculo usu orationem latinam tolerabilem scribere didicerunt. Hi igitur cum in agnoscenda doctrina pietatis et latina lingua elaborare inceperint, non tantum in utroque studio pergunt, sed etiam ad graecas literas jam animum applicant. Ac in primo quidem studio ut progrediantur, proponuntur eis praeter conciones publicas, quas in templo auscultare coguntur, quaestiones examinis theologici Philippi Melanthonis, ubi doctrina christiana pietatis uberius aliquanto explicatur. Praeterea diebus sacris evangelia a Ludimoderatore, qui huic classi praeest, enarrantur, ubi loci apti pro pueris eliguntur et dictantur. Cum etiam ter quaterve quotannis ad coenam Domini a suis praceptoribus tres classes superiores adducantur, diligenter prius aliquot horis de doctrina eucharistiae et simul de poenitentia deque confessione erudiuntur. Ex his omnibus arbitror hauriri potest praesertim a cupientibus proficere cognitio doctrinae christiana puerili aetati necessaria.

Ad linguas vero feliciter perdiscendas cum existimemus tria maxime necessaria esse, primo regulas grammaticas, quae viam loquendi et scribendi tironibus monstrant, secundo lectionem bonorum autorum, unde et exempla regularum et linguarum phrases petantur, denique diligentem exercitationem loquendi et scribendi, per quem priora duo ad usum transferantur, proponuntur hic in utraque lingua et grammatici eruditii et autores utiles et exercitia convenientia. Ac in latina quidem privatim praelegitur in hac classe Linacri syntaxis, opus fortasse perfectissimum omnium eorum, quae de hac re extent. Retinetur et hic in reliquis grammaticae partibus utilissimus Micyllus.

Autores vero praeleguntur omnium iudicio probatissimi: Cicero, Terentius et Virgilius, in quorum enarratione diligentissime et grammatica exercetur et verborum formularumque romani sermonis habetur ratio. Denique exercitii causa proponuntur singulis septimanis singula argumenta tam

prosae quam ligatae orationis. In graeca vero lingua paelegitur grammatica Clenardi, in qua omnia fere scitu necessaria eruditissima brevitate tractantur. Autorem vero ludimoderator absoluta recens enarratione capitum pietatis Camerarii, Hesiodum nuper incepit, ubi, ut mox apparebit, paeceptionum grammaticarum usus et graecae versificationis ratio ostenditur. Denique ne desit etiam hic pueris exercitium, proponitur aliqua latina periodus, quam graece ex verbis et formulis notis versam illi, qui triennium aut quadriennium jam graecati sunt, una cum latino argumeto exhibeant. Ut vero etiam paecepta versificationis ad usum translata observentur, proponitur simul etiam materia, unde tetrastichon vel hexastichon graecum fiat. Sed cum illud tetrastichon semper a paeceptore prius compositum sit, indicantur pueris verba et formulae, quae in numeros ab ipsis facilius cogi queant. Etsi autem haec revera nihil sunt, tamen ludimoderator non putat hoc qualemque exercitium intermittendum, propterea quod videat et formulas graecas facilius adhaerescere puerorum memoriae et regulas grammaticas de declinationibus, motionibus et comparationibus nominum, item de mutationibus accentuum in singulis casibus, item de constructionibus graecis felicius perdisci et rationem scandendi graecos versus ostensam animis penitus infigi. Sine enim hoc exercitio non possent paecepta retineri in memoria sine difficillimo et taediosissimo labore. Sed haec ut dixi proponuntur iis, qui aliquamdiu in studio graecae linguae versati sunt. Nam posterior ordo haec conari nequit, ut qui grammaticam totam nondum perdidicerit. Qui etiam dum Linacrum discit, interim syntaxin Micylli retinet, ut mox dicetur, et crimina potius quam carmina latina scribit, donec aetate ac usu confirmatio in societatem prioris ordinis cooptetur. His igitur studiis prima classis perpetuo occupata est. Saepe tamen ludimoderator etiam extraordinarie alias lectiones suscipit sua sponte, ut superiori anno dialecticam quibusdam alio hinc discessuris paelegit, quam auditam etiamnum in priori ordine quidam exercent componendis et exhibendis syllogismis. Praeterea ante biennium etiam cum videret quosdam ultro conari graecos versus facere, et enarravit tres libros Iliadis Homericae et rationem versificandi ostendit studiosis graecarum literarum, et exercitium componendi versus tum illa occasione inchoatum etiamnum in hac classe durat. Quae autem quibus horis et qua ratione ordinarie proponantur, jam paucis dicemus.

Diebus Lunae et Martis prima matutina graecam grammaticam Clenardi posteriori ordini paelegit ludimoderator jubetque brevissimas ac eruditissimas regulas edisci ac recitari proximo die vel Lunae vel Martis antequam in paelegendendo pergatur. Dum recitantur hae regulae, inspicit syllogismos exercitii causa a quibusdam ex priori ordine compositos.

Hora vero altera antemeridiana epistolae Ciceronis familiares enarrantur. Ubi primum exponuntur verbis vernaculis quantum fieri potest aptis versus circiter quindecim. Inter exponendum adiuitur dispositio epistolae. Indicantur figurae rhetoricae, item loci communes aut ad formandos mores pertinentia, explicantur et breviter historiae, si quarum fit mentio. Hanc lectionem ubi omnes pueri rursus exposuerunt, ibi revocantur omnia ad grammaticas paeceptiones. Primo non praeteritur, si quid sive perperam sive recte scriptum ad orthographiam pertinens occurrit, de quo monendi sunt pueri. Deinde singulae constructionum regulae diligenter exiguntur a priori quidem ordine ex Linacro, a posteriori vero ex Micyllo. Pari studio postea etiam etymologia examinatur, ut regulae vel in Micyllo vel in Linacro auditae, probe exerceantur, intelligantur ac in memoria maneant. Denique post hoc grammaticum examen formulae latinae excerptae una cum germanica interpretatione apta et propria itidem hic quoque pueris dictantur, ex quibus postea argumentum fiat.

Hora tertia antemeridiana diei Lunae grammatica Micylli legitur. Haec enim necessario cum Linacri libello conjungenda est, cum puerilia haec Linacer non persecutus sit. At die Martis eadem hora Linacri grammatica exponitur. Atque in his grammaticis lectionibus hoc paecepit agitur a paeceptore, ut regulae a pueris intelligantur. Vocabula et exempla obiter exponuntur. Intempestivum

enim existimamus hic multa dictare et tempus inepte conterere recitandis vel dictandis omnibus historiis aut fabulis, si quod occurrat nomen proprium, aut enumerandis omnibus omnium verborum significationibus. Ex proposita lectione breviter significat praceptor, quid mandatum memoriae recitari velit redeunte alia hora alterutri harum lectionum destinata.

Pomeridianae binae horae totae tribuuntur Terentio nisi quod hora prima diei Lunae in Micylli grammatica pergitur. Terentius autem enarratur eodem modo, quo Cicero, nisi quod hic etiam ratio metri monstrari solet, ut pueri versus scandere discant.

Diebus Mercurii et Jovis. Prima matutina diei quidem Mercurii enarrationi Hesiodi tribuitur. Exponuntur hic versus circiter duodecim. Ac simul inter exponendum indicatur dispositio operis, item mythologiae fabularum et constructiones difficiliores, quae lumen intelligendi autoris afferunt. Hi versus expositi a priori quidem ordine rursus exponuntur, a posteriori vero jam tantum leguntur. Deinde scanduntur versus difficiliores, ubi scilicet figurae latinis poetis minus usitatae occurunt, dicunturque, si opus est, regulae ex grammaticis de quantitate syllabarum. Jubentur observari elegantia epitheta et formulae poeticae usurpanda in versibus. Hinc graecae constructiones tam figuratae quam legitimae excutiuntur. Deinde in singulis vocibus etiam praeepta etymologiae exercentur. Inquiruntur et annotantur themata verborum. Declinantur, moventur et comparantur nomina, considerantur mutationes accentuum in casibus. Indicantur dialecti et figurae dictionis graecis poetis familiiores. Die vero Jovis hac hora emendantur versus latini, ubi opportune monstrantur priori ordini vitia fugienda et elegantiae virtutesque imitandae in carmine. Deinde alia materia, unde versus fiant post octiduum exhibendi, dictatur priori quidem ordini latina, posteriori vero vernacula lingua. Utque pueri aliquantulum adjuventur a praceptor, proponuntur plerumque septem cola seu septem integrae sententiae includendae binis versibus ita ut prioris ordinis pueri singulis septimanis minimum quatuordecim versus elegiacos componant et exhibeant. Reliquis vero duo cola, ex quibus bini versus fiant, proponuntur. Sed his solet Ludimoderator versiculos a se prius compositos germanice fere ad verbum versos dictare, ut facilius sese his tironibus offerant verba numeris idonea. Monstratur etiam utrisque, quomodo oratio mutanda sit in aliam atque aliam formam, et recensentur singularum sententiarum aliquot synonymae formulae, ex quibus elegantur aptissimae versibus.

Hora antemeridiana altera Georgica Virgilii enarrantur fere eodem modo, ut epistolae Ciceronis. Nam et hic inter exponendum commemorantur historiae aut fabulae poeticae, quarum fit mentio. Indicatur et dispositio operis una cum locis communibus et revocantur omnia ad regulas grammaticas, non solum, ut regulae melius intelligantur accommodatione exemplorum, sed etiam quod nullum majus lumen introspiciendi autores pueris ostendere possumus. Quod satis inde appareat, quod contemtores grammaticae saepe in lectione aut enarratione alienorum scriptorum caecutiunt et nimis quam turpiter hallucinantur. Ideo diligenter assuefacimus pueritiam ad grammaticam eruditam magistrum intelligendi et formandi sermonis, sed privatim in Vergilio etiam, quae ad prosodium ut ad versificationem attinent, indicantur, scanduntur difficiliores versus, si qui occurunt, praesertim a tironibus. Monstrantur caesurae, elegantia etiam epithetorum in sapientissimo opere poetae ostenditur et laudatur. Monstrantur etiam periphrases et formulae poeticae a pueris versificatoribus usurpanda, quibus addit praceptor synonymas ex aliis poetis. Denique si quae vocabula rerum aut verba latina occurunt, sicut plurima occurunt, quorum usus potest esse etiam in soluta oratione, illa etiam excerpta dictantur pueris.

Hora tertia antemeridiana pergitur in Linaco.

Prima pomeridiana diei Mercurii germanicum argumentum dictatur pueris, quod ipsi adhibitis formulis, quas ex autoribus didicerunt, qui plerumque materiam praebent argumenti proponendi, ut alibi dictum est, latine versum die Veneris proximo in ludo exhibeant. Si quid temporis ad secundam

superest, exiguntur syllogismi compositi ab his, qui dialecticam audiverunt. Diebus Jovis post meridiem feriae aguntur publice.

Die Veneris totum tempus antemeridianum tribuitur emendationi scriptorum ac insuper altera hora pomeridiana. Ratio vero emendandi eadem servatur, quae supra in secunda classe.

Die Saturni primo omnium precationis loco latine repetitur quinta pars catechismi, quae et pridie recitata est, cum precatione Johannis Stigelii, ut alibi diximus. Deinde prioribus duabus horis pergitur in Hesiodo. Sed priusquam accedatur ad lectionem autoris, dictat praceptor priori ordini unam atque alteram periodum graece reddendam, simul etiam materiam tetrastichi. Ac verba usurpanda, si quae ipsis non nota sunt ex lectionibus autorum graecorum, simul indicat. Ac retinet hoc qualemque exercitium propter causas supra expositas.

Hora tertia antemeridiana catechismus Chytraei vel examen theologicum Philippi explicatur. Hanc etiam lectionem expositam pueri ediscunt ac recitant eadem hora post octiduum.

His rebus si qui satis diu exercitati sunt, ita ut his fundamentis jactis utiliter majora superstruere posse videantur, dimittuntur cum commendatione nostra plerique Jenam ad prosequenda studia. Sed nostra voluntate prius non discedunt quam oratiuncula suo Marte composita et praceptoribus gratias agant et condiscipulis valedicant et utrisque promittant se ipsorum memoriam cum benevolentia retenturos et crebris literis declaraturos esse.

Atque haec sunt exercitia scholae nostrae, quibus singularum classium pueri pro aetate et captu suo a nobis studiose erudiuntur. Etsi autem nostra diligentia in erudiendo maxime necessaria est pueris, ut qua languente aut desinente illi per sese nihil possint proficere, tamen minus proficeremus, si ut ante triennium soli relinqueremur. Nam solius praceptoris seu laudatio seu castigatio non adeo afficit pueros, propterea quod reverentiam in animis puerorum erga praceptores minuat quotidiana, ut ita dicam, consuetudo, atque hic etiam nimia familiaritas contemtum pariat.

Utilissimam igitur operam navat scholae nostrae vir doctrina pietateque excellentissimus M. Bartholomaeus Rosinus, inspector scholae nostrae, cuius tanta est diligentia, ut singulis hebdomadis aliquot dies ordinarie et praeterea non paucas horas extraordinarie inspectioni scholacticae impendere nobisque autoritate et consilio suo adesse non vereatur. Servantur enim ab ipso instituta examina ordinaria singulis mensibus in singulis classibus. Ubi ipse praesens audit, quid pueri proficient, et quomodo a praceptoribus erudiantur. Ac qui tum sese dant honestius, laudantur et amica cohortatione ad eandem laudem tuendam incenduntur. Quorum vero ignaviam aut malos mores et res indicat et praceptor accusat, rursus objurgantur et castigantur coram reliquis. Quodsi frustra aliquamdiu objurgati et minis territati sunt, tandem ex sua classe rursus in aliquam inferiorum dejiciuntur, ne reliquis impedimento sint. Haec inspectio mirifice excitat sedulitatem tam docentium quam discentium. Hoc consilio et bina publica examina quotannis plerumque habentur, ad quae visenda et ministri ecclesiae omnes et senatori invitantur.

Tantum de cura studiorum puerilium.